

expositione me Lexica destituunt. Legitur praeterea fol. 17. p. 1. *Ascensio domini bodie. VI. N. maii. Anno domini m̄lXXVIII. mariani miseri domine miserere.* Meminit Codicis hujus egregii *Lambecius T. II. p. 749. edit. Kollar. col. 526.* qui tamen *Notas* marginum, quae, ut dictum est, locis PP. constant, pro ipso *Mariani* foetu habuisse videtur.

LIX. VIII. E. 4.

353 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 105. f. propter glossas marginum et interlineares columna angusta, lineisque laxis nitide exaratus, rubricisque distinctus continet omnes *D. Pauli Epistolas*, quarum prima inscribitur: *Incipit Epistola Beati Pauli Apostoli Ad Romanos.* Praeit illam breve quoddam argumentum hoc initio: *Quamvis in Euangelio et correptio morum et uitę humane doctrina contineatur &c.* Textus Epistolarum sat emendatus, Glossae partim ex ordinaria *Walafredi Strabi*, partim ex interlineari *Anselmi Laudun.* depromptae sunt. Illud peculiare, quod soli *Epistolae II. ad Corinthios*, et *Epistolae ad Galatas* Summaria exacta praefixa sint, quae utrobique *Tituli* inscribuntur. Inter *Epist. ad Philemonem* et *ad Hebraeos* tria inferuntur Segmenta. Primum est C. V. five *Vita D. Pauli e Catal. Illustr. Viror Hieronymi.* Alterum e *Libro Hermetis (Hermæ) Pastoris Mandato III.* de

Conjugibus adulteris. Tertium de Genealogia *B. Mariae*, quod incipit: *Anna et esmeria fuerunt sorores &c.*

LX. VIII. E. 11.

Codex membraneus lat. Sec. 360 XIII. Folior. 40. f. minutius sed fat nitide perscriptus, rubricisque distinctus continet *D. Pauli Apostoli Epistolas* ex interpretatione vulgata, eo ordine, quo in Editis habentur. Adspersae sunt cum in marginibus, tum inter lineas *Notulae*, quae nec ex *Anselmi Laud.* nec ex *Walafredi Strabi Glossa* provenere, versus medium decrefcunt, versusque finem rursus copiosiores evadunt. Exemplo fit, quod ad v. *vocatus* statim in limine *Epist. ad Rom.* notatur: *Vocatio fit multis modis. aliquando per solam predicationem. aliquando per grauissimam infirmitatem uel aduersitatem. aliquando per miracula euidencia. aliquando per occultam inspirationem &c.*

Fuit Codex hic olim *monasterij sancte crucis in lympurgh inter spiram et Wormaciam ciuitates preclaras*, quod Abbatem celebrem habuit *Rupertum*, cuius quaedam dedimus inter *Homiletica.*

Afferculo posteriori adglutinae sunt *Litterae Philippi Episcopi Albanensis*, quibus *Friderico de Rudesheym Maguntin. dioc.* Uxorique et Liberis conceditur electio Confessarii ad Quinquennium in ordine ad absolutionem exceptis Casibus Sedi Apostolicae reservatis, et Votorum commutationem

ex-